

*174. Instrumentum locationis seu
concessionis della chiesa della Ss. Trinità*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*174. Instrumentum locationis seu
concessionis della chiesa della Ss. Trinità*

1557-11-23

(c. 269v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, regnante serenissimo et chatholico domino nostro domino Filippo de Austria divina favente gratia rege Anglie, citerioris Sicilie, Hibernie, Hierusalem et regnationis vero ipsius in hoc regno Sicilie citra farum anno quarto feliciter amen, die vigesimo tertio mensis novembris, prime inditionis, Potentie et proprie in sacrestia venerabilis ecclesie Sante Trinitatis.

Nos Oratius Scafarella de Potentia annalis et litteratus iudex, Nicolaus Gribius Serranus, incola ditte Potentie civitatis, publicus et apostolicus ubilibet per totum idem regnum Sicilie citra farum regia et apostolica autoritatibus // (c. 270r) notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico locationis terrarum instrumento notumfacimus et testamur quod prefato die coram nobis et in nostri presentia presentibus et personaliter constitutis venerabili donno Mario de Tricarico, procuratore venerabilis ecclesie Sante Trinitatis, agente ad infrascripta omnia et singula procuratorio nomine et pro parte ditte ecclesie, cum consensu et autoritate venerabilium donni Hieronimi de Tito archipresbiteri, donni Petri Iacobi de Russis, donni Regnantis Pallottini, donni Hieronimi de Gaudio, donni Hieronimi Zappe, donni Francisci de Urso, donni Antonii Mazarelle et donni Iannini de Iusualdo, clericorum ditte ecclesie unanimiter in eletto loco ad sonum campanelle congregati et nemine ipsorum discrepante ibidem presentium et ditto eorum procuratori eorum consensum et auctoritatem dantium et prestantium in

toto presenti instrumento; ac etiam cum consensu et autoritate venerabilis donni Ioannetti de Rivello, generalis procuratoris reverendissimi domini episcopi Potentini, ibidem presentis et dittis procuratori et clericis suum consensum et autoritatem dantis et prestantis, parte ex una, consentientibus prius in nos dittis procuratore et clericis in nos iudicem et notarium tamquam in suos, cum sciverunt et recognoverunt et sciant et recognoscant nos suos non esse, nec nostre iurisdictioni subiettos, nostram iurisdictionem // (c. 270v) et officium in hac parte voluntarie prorogando et se ipsos summittendo; et Berardino de Pisano ditte civitatis, agente similiter ad infrascripta omnia et singula pro se ipso suisque heredibus et successoribus venerabilibus et particularibus, parte ex altera. Prefatus quidem dominus Marius procurator, cum consensu et autoritate prefatis, sponte, non vi, dolo malo, metu ad id induttus, nulla inpressione aut suasionem motus vel aliter circumventus, ut dixit, sed sua pura, mera, libera, gratuita et spontanea voluntate, in nostri quorum supra iudicis, notarii et testium subscriptorum presentia, pro evidentibus utilitatibus ditte ecclesie locavit et concessit et locationis et concessionis titulo dedit et per fustem assignavit ditto Berardino ibidem presenti, conducenti, recipienti et stipulanti, pro se ipso eiusque heredibus et successoribus, petium unum terrarum ditte ecclesie capacitatis circa tumulorum quinquaginta, situm in territorio ditte civitatis ubi dicitur la Machitella, confinatum ex omni latere iuxta terras ecclesie santi Francisci et terras condam domini Troiani de Ingannulo, vallone et limitibus mediantibus, per annos tres sequentes, incipiendo a primo die mensis septembris proximi elapsi, pro annua locatione frumenti tumulorum sexdecim et ordeï tumulorum

otto ad iustam et modernam mensuram; quod petium terrarum ut supra concessum et locatum promisit dittus procurator, autoritate qua supra, durante ditta locatione aliter non locare nec concedere, // (c. 271r) sed eumdem Bernardinum conductorem defendere, antestare, excalumniare et de evitione teneri ab omnibus hominibus et personis, quibuscumque dominis, universitate seu collegio et ab omni persona volente contravenire et a ditta locatione non desistere. Quos frumenti tumulos sexdecim et ordeï tumulos otto promisit dittus Berardinus condutor quolibet anno consignare ditto procuratori et qui pro ipsis fuerit in ditta ecclesia tempore recollectionis in area in dittis terris attos ad recipiendum de meliori frumento et ordeo recolligendis in dittis terris, in pace et sine diminutione qualibet; quam locationem, affittum et concessionem dittarum terrarum ac omnia alia prefata et infrascripta in presenti instrumento contenta et ad invicem promissa, promiserunt partes ipse una alteri et altera alteri, legitima stipulatione precedente, ratam, gratam et firmam ac grata, rata et firma prout ad unum quemque ipsorum spettat et pertinet habere, tenere perpetuo et inviolabiliter observare et contra non facere, dicere, opponere vel venire, in iudicio vel extra, de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, ratis et firmis remanetibus pattis et conventionibus supradittis, quia sic inter ipsas partes ex speciali patto attum extitit et expresse conventum, lege qualibet non obstante, sub obligatione eorum ipsorum heredum et successorum eorum et bonorum eorum mobilium et stabilium seseque moventium, presentium et futurorum ubicumque sistentium et de cetero extitutorum, // (c. 271v) cuiuscumque vocabuli appellatione distinctorum ac etiam eorum que in generali obligatione non

veniunt sine speciali verborum expressione et quod etiam ad ignorata extendantur precario nomine et penam unciarum viginti quinque, medietate ipsius pene, si eam committi contingeat, regie curie vel alteri curie cuicumque ubi exinde reclamatio fatta fuerit vel querela et altera medietate pene eiusdem parti prefata observanti et non contravenienti et eius heredibus et successoribus integre persolvenda, totiens quotiens fuerit exinde quomodolibet contraventum, me prefato notario tamquam persona publica pro parte ditte curie et ipsis partibus presentibus parte ipsis eorumque heredibus et successoribus unam ab altera et alteram ab altera penam solemniter et legitime stipulantibus antedittam. Qua pena commissa vel non commissa, exatta vel non exatta aut gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus in eo contentis in suo semper robore et efficacia perseveret, rato manente patto cum refettione et integra restitutione omnium et singulorum interesse dannorum et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento tantum alterius ipsarum partium prefata observantis et non contravenientis et eius heredum et successorum, nulla alia probatione quesita, ita quod reduci non possit ad arbitrium boni viri nec exinde comodolibet <sic> appellari aut aliter reclamari; que bona superius obligata, ditte // (c. 272r) partes constituerunt se precario nomine tenere et possidere pro parte alterius ipsarum partium prefata observantis et non contravenientis et eius heredum et successorum, quod precarium liceat et licitum sit unicuique ipsarum partium prefata observanti et non contravenienti et eius heredum et successorum revocare et ad se advocare seu revocari facere quandocumque

eis placuerit, simpliciter vel solemniter, ut melius eis videbitur et placebit, nulla iuris vel fatti solemnitate servata que in huiusmodi bonis capiendis, vendendis, alienandis vel insolutum retinendis et dandis de iure requiritur; et renuntiaverunt partes ipse una videlicet alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti pro se suisque heredibus et successoribus, voluntarie et expresse, ex certa eorum scientia, exceptioni doli mali, metus et in fattum, presentis non sic celebrati contrattus reique predicto modo non geste seu aliter habite quam superius et inferius continetur et est expressum, exceptioni deceptionis et fraudis, privilegio fori, beneficio restitutionis in integrum, conditioni indebite ob causam et sine causa, literis, privilegiis, cedulis, moratoriis et rescriptis inpetratis vel inpetrandis et, ipsis inpetratis, promiserunt ditte partes non uti nec ipsorum vigore aliququaliter se iuvare, usibus, consuetudinibus, constitutionibus et capitulis regni huius premissis vel // (c. 272v) ipsorum alicui adversantibus quoquomodo ac omnibus aliis legibus, exceptionibus, questionibus, compensationibus, allegationibus, defensionibus iuris et fatti quibus et propter que ditte partes et eorum heredes et successores contra premissa vel ipsorum aliquod venire possent quovis modo aut ab ipsis observantis se teneri; iuri dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri quo cavetur quod predicto iuri renunciari non possit ac omnibus aliis legibus, canonicis et civilibus et auxiliis omnibus in corpore utriusque iuris existentibus et repertis. Certiorate prius ditte partes, ut dixerunt, per iuris peritum de iuribus ipsis, effectibus et beneficiis eorundem antequam renuntiarent eisdem legibus. Pro quibus omnibus supradittis et infrascriptis et eorum singulis firmiter attendendis, adimplendis et

inviolabiliter observandis quodque prefata omnia et eorum singula vera sint et in nullo unquam vacillent, ditte partes una alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti ut supra coram nobis eisdem iuraverunt et corporale, tattis litteris, ad Santa quatuor Dei Evangelia prestiterunt iuramentum; et fuit attum infra contrahentes eosdem pro cautela unius cuiuscumque ipsorum partium et eorum heredum et successorum quod si qua iuris vel fatti solemnitas in presenti instrumento deficeret vel clausula, tacite et expresse intelligantur in eo et totiens corrigi, refici et emendari possint quotiens opus erit ad sensum et consilium // (c. 273r) sapientis eligendi per partem prefata observantem et non contravenientem et eius heredes et successores, donec venerit ad lucidam formam veritatis et fatti substantia non mutata. Unde ad futuram rei memoriam et dittarum partium preces et ipsarum et earum heredum cautelam et omnium quorum et cuius inde interest et interesse poterit in futurum certitudinem, fattum est exinde de premissis hoc presens publicum locationis instrumentum, ad instantiam et requisitionem supraditti venerabilis archipresbiteri nomine ditte ecclesie, per manus mei prefati iudicis et nostrum subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum.

1

2

3

Così S per Grisius (a docc. coevi)

Così S per? Regnati

Così S per universalibus

4

5

Quod scripsi ego idem Nicolaus publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus vocatus et rogatus
interfui ipsumque meo consueto signo signavi. (SN)
Ego Oratius Scafarella de Potentia annalis iudex in
predittis pro iudice interfui et me subscripsi manu propria
Io Mathia de Feluso de Potentia so testimonio Io
domno Petro Ferrera de Potentia son testimonio Signum
crucis proprie manus Antonii de Cannillo alias Celisi de
Potentia idiote et scribere nescientis ut supra

6

Così S per atta

Così S per ab ipsorum observantia se tueri

Così S qui, nella nota testium Fellutio